85.





DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis quartâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. JACOBO-ALBERTO HAZON;
Doctore Medico, Præſide.

An à præceptis diæteticis vita felicior?

I.



NIVERSI ad felicitatem tendunt homines; unus quidem ejus amor, ſed non via una eſt omnibus. Alii dulces inter epulas, ac regna vini; alii inter vitæ tranquillioris otia felices ſe credunt futuros, ſpernuntque invidioſas opes & aulæ ſuperbiam. Rectiùs porrò ad ſcopum collimat qui ſolidioribus inhiat bonis, neque pro felicitate ipſâ captat inanes tantùm ejus umbras. Si quæ igitur diverſas inter orbis hujuſce procellas affulgere queat homini felicitas, etiam in me-

dicæ artis gremio reperiunda eſt, cui nihil præſtantius incumbit quàm corporis atque animi ſanitas. Nullus tamen aut frequentiùs error accidit, aut magis temerarius eſt, quàm illorum qui conjunctam medicæ in vivendo prudentiæ miſeriam exiſtimant : neque mirum : nullus enim Medicum ſe non credit ; habentque omnes ſuos de arte rariſſimâ quos proferant aphoriſmos. Clamitant ſcilicet miſeros medicinâ fieri homines, dùm ſpectant quoſdam arte male-ſuadâ ſibi nocivos, exeſum libidine puſillè torquentes corpuſculum, ſemperque *medicamentosè* citra neceſſitatem victitantes, non ſuadente, ſed invito ac talem medicinam deprecante Medico. Docent prætereà Philoſophi « plures à Medicis afferri quàm ſanari morbos : » ex eorum arte credulitatem oriri, ſegnitiem vecordiam, ac mortis formidinem ; » hâc ſi ſanentur fortè corpora, ſaltem frangi animos ; ex eâ ſoboleſcere non viros, ſed virorum cadavera, &c. »

Nos verò, Genus Apollineum, uſquequò demùm artem fonte nobilem, neceſſitate venerandam, præceptis perutilem, doctrinâ inconcuſſam, in dedecus afferri patiemur ? Hanc vindicare ab inſanis plebeculæ dicteriis, hanc à præconceptâ ſapientûm virorum opinione criminibuſque eruere noſtrum munus eſt. Sed ſola errores diſcutiat veri luculenta expoſitio ; artem ipſam commonſtremus legeſque ejus diæteticas ; hiſce dein penſitatis, patebit è medicâ moderatione leves quidem, ſed puras & conſtantes, quantùm fragilitati humanæ licet, enaſci delicias vitamque feliciorem.

I I.

ARS Medici duplex : alia quæ ſanitati conſervandæ invigilat, & eſt *hygieine* ; alia quæ lapſam reſarcire ſtudet, ac ἰατρικὴ vocatur. Hæc ſi miſerum videatur reddere hominem, non ideò cauſa eſt infortunii, ſed à morbo eam requirente tota exſurgit calamitas. Horrorem, fateor, quandoque ac faſtidium præ ſe fert ; ſed his etiam finem ſæpe imponit, & ſi quando ſæviat, hominum benè dilectrix, piè ſævit ; ſive enim propinentur pharmaca, ſive acies amica morbo interiora devaſtanti pandat iter foràs, citò quantùm potis eſt, tutò ac jucundè operatur ; tali ſæpè omiſſâ curâ malum ingraveſceret, ſummumque inde naſceretur ac immedicabile infortunium. Uſque adeò cogit eam dura neceſſitas ! Illi verò miti ſemper, nunquam dolorificæ, non alius laborum finis, non aliud præmium, quàm longæva hominum felicitas. Nulla Medicinæ pars firmioribus innititur fundamentis, nulla certior, nulla generi humano proficua magis, nulla ingrata & faſtidioſa minùs. Solâ enim moderatione in uſu rerum jucundarum,

arcet morbos, doloris, luctûs ac tædii præcipuos fontes; & sanitati consulit, quâ nihil ad felicem vitam optabilius : nec quibusdam tantùm affulget oris sidus amabile; suo etiam influxu universos cunctarum regionum incolas, universas omnium hominum conditiones tuetur & beat. Studet ut inter diversos labores, diversos vitæ status, sanus pro suâ quisque parte felixque possit vivere. Docet quo regantur aulici victu, quem sequantur ruricolæ; quid prosit militi, quid operis, quid singulis artibus; nascenti prospicit viro, regit adulti labores, manum amicam titubanti largitur senectæ. Dat sua sexubus jura, dat sua climatibus; quid gelido Lapponi, quid perusto Nigritæ conveniat, quid sub constanti amicoque Asiaticorum cœlo, quid in variabili Europæorum patriâ, statuit ac temperare amat sapienti legum discrimine. Universos mente unâ complectitur, indesinenti perlustrat oculo; singulos singulari consilio monet, debito omnes adjuvat præsidio. Sed ingrata soboles quàm dirè matrem blandissimam plectit! Quàm atris excipit tot tamque jucunda munera conviciis! Ah! cæci, mammas uberiores ne cædatis; arborem abstineatis eruere, quæ, sæviente brumâ, triste offert spectaculum, nescii quale mox præbitura sit hospitium, quàm opimas datura fruges! Potiùs adeste, mortales, benignam hanc parentem propiùs intueamini; divina udite pandentem oracula.

III.

PURUS sit aër, levis, semper novus; ex oris borealibus & ab oriente puriores flabunt venti; humidioris austri cave pestiferos æstus. Sic domos, sic urbes extrue, ne maligni paludum vapores, ne minerarum halitus vitalem auram inficiant. Ibit feliciùs per ædes patulas aër liberiori cursu assiduò mutatus: id præcipuè miserum in castris militem juvat, tristesque pauperum casas & ægrorum recessus. Accende focos ex aromaticis, maximè prope domos, intra domos. Nascatur in ambitu, ex plantis aura purior; fœtaque male-sanis miasmatibus atmosphæra salubres recipiat vegetantium particulas; extra oppida sita sint carceres & nosocomia; longè à viventûm cœtibus effodiatur tellus ad condenda cadavera, æquales Pauperum, Magnatûm & Heroûm reliquias.

Sobrius ac temperans esto; sed firma firmis, otiosis parca, plura plus exercitis dentur alimenta corporibus. Ne publicis nimiùm servias usibus; cunctis scito assuescere; vites autem severum consuetudinis imperium. Paucis utere, sed indiscriminatìm omnibus; nec inediâ tuæ ruant in interitum vires; nec copiosiori cibo graventur ultra modum; nec diutiùs protrahatur mensa, nec ore vora-

ciori cibi deglutiantur. Vanefcant tibi fallacia famis irritamenta ; fit pro condimento labor ; fimplex tibi fit , præ multiplici , dapum apparatus ; parva eft exercito ciborum differentia ; farinæ , olera & fruges , nedùm duros vinitoris artus debilitent , augent & roborant. Urbano mifceantur cum carnibus vegetabilia. Fermentatis haud cedat liquoribus pellucidus latex ex amne decurrenti crebris hauftus vicibus ; vino tingatur in debilis tantùm gratiam ventriculi ; nec mero utatur , nifi fudore madens. Phlegmaticâ turgentem colluvie Batavum tumidamque juvat tabacus coryzam. Illi tantùm bona thea eft quem falfa fefellerunt menfæ gaudia ; coffæa fomnolentum excitat ac fubdit fegniori ventriculo ftimulos efficaces. His igitur medicamentis potiùs utere quàm alimentis ; ufum dictet neceffitas ; quæ nifi imperet , fuge fallaces delicias.

Alternæ fefe excipiant vigiliæ & fomni , laboris & otii vices ; fedeat ab exercitio , quicumque duro fractus labore vires amiffas revocare amat. Litteratus autem & abfque motu laborans lufioni indulgeant animum corpufque benignè reficienti ; rufticentur , obambulent , pilâ exerceantur , faltu curfuve , ad primum ufque defatigationis fenfum ; equitent præfertim , aut fupra concretum amnem rapidè vehantur. Modicæ corporis motiones à paftu juvant ; perturbant enim violentæ digeftionis officium. Tunc & à ftudio cave & ab animi intentione quâvis ; fed nec fede otiofus. Labore nimio fi fracta ruat compages , quantò pejor defes otiofaque vita , non fanitati nociva minus quàm moribus ! nocet præfertim homini valdè olim exercito fubitò inftituta ; ut qui languebat iners , labore vel minimo brevi profternitur : quævis enim fubita & infignis mutatio , ni maturè affueveris , fummè mala.

Somnum nox placida accerfat , affulgens abfolvat dies ; fol vigiles artus reficiat ac roboret ; nec pervigilet , nifi in armis miles , aut Medicus propter ægrorum cubilia fuam fanitatem fpernere geftiens : nec meridiare , nifi quiete nocturnâ anteà defraudatus , aut ubi nimio folis æftu refolvuntur artus , Italo Hifpanoque more. Studenti , laboranti , macilento fomnus paulò longior fit , obefis parcior : annis fenfim fugientibus minuatur ejus duratio. Duro potiùs quam molli , ex paleis aut crinibus , potiùs quàm plumis , lanis goffypiifve inftructo , leviùs quàm graviùs obtecto , utere cubili. Nec inibi fudes , nec algeas ; nec ligatis artubus capeffe fomnum , nec decliviori capite , nec vultu fub ftragulis condito , nec in loco humidiori , nec intra denfam adulteramque zetæ obfcurioris atmofphæram.

Ut corporei motus; ſic moderata proſunt, nimioque aut pravo tantùm uſu nocent animi pathemata; ergo nec furore mens efferatur, nec amore depereat, nec contabeſcat odio vel livore, nec deficiat metu, nec mœrore conficiatur; ſed tui compos eſto, tuæ mentis arbiter. Quidquid tibi evenerit, nec timidus eſto, nec audax, ſed prudens. Sine te probari infortuniis; ſcito adverſis ut ſecundis uti rebus; mentem quippè ærumnis exercere, ac labori indurare corpus, æquè neceſſe eſt; hoc ne improviſo labori cedat impar; illa, ne angore ac moleſtiâ ſuperetur imbecillior. Frontem exornent manſuetudo, pudor & mentis amica ſerenitas. Nativa morum virtutumque ſympathia dulces diù probatæ amicitiæ, dulciores amoris innocui nectat ſola nodos. Amor talis, amicitiæ connubium expertus artus roborat, exhilarat animos, curas vitæ dirimit, ſpondet patriæ cives, mundum perennat.

I V.

EA ſunt Medicinæ præcepta. Non hîc igitur ex amaro fonte ſanitas eſt haurienda; neque eſt difficilis ea ſapientia, neque aſperum calcat iter ac humanæ felicitati impervium. Sed cuncta minimè arrident omnibus: laudatur ille quidem putidas qui urbium auras deferens, rurales captat impollutas ac ſæpiùs fetas balſamicis plantarum halitibus. Verùm cuicumque ſobrio ac temperanti, ſolâ condiente fame, ſimplex miniſtratur ac frugalis menſæ apparatus; dapes exquiſitè jucundas is neſcire arguitur, voluptatiſque expers ac proindè miſer habetur à plurimis. Nùm verò reapſè miſer? Litem tu dirimis, memorande *Cornaro*, tu dum auſterè ſobrius fuiſti, longè felicior, quàm antè regales inter epulas. Neglectis enimverò palati deliciis, potiora admodùm ſolantur ſanitatis raró vitiatæ conſtantiſque animi gaudia: paucis uti conſuetus in modico felix eſt; exquiſitiores neſcit gulæ delicias; ſed cùm nulla ignoti cupido, nulla proindè ſpontè abſtinentis vera eſt penuria, nulluſque infortunio locus. Audeat mox fortuna invida dolos ei nectere, fortunam ridet ſtans immota rupes, ſui compos, fato major.

Sanitatis verè cupidus quantùm ab hiſce differt qui ſuſdeque omnia vertentes, ludis diem otiove, noctem verò ſtudiis aut laboribus impendunt; qui menſam ludoſve integris æquantes noctibus, ſeram dein quietem longos in ſoles producere amant, veterno obruti, ſibi, ſuis & ſocietati graves! Quod reſarciendis ſufficit viribus, id & illius voluptati ſufficit; nedùm lucente Phæbo, vigente naturâ, jaceat defuncto ſimilis, ſuavi potiùs gaudet ridentis ſpectaculo, recurritve

lætus ad ſolitos conditionis ſuæ labores : & ſuomet labore felix mihi videtur. Hunc enimverò dum certis componit limitibus, utiles moderati perſpicit, & nimii nocivos effectus præcavet, uſquè prudens, arti obſequioſus & felix. Nec ſatis; ſapientem vel in minimis illum deprehendes; ſudore madens, agendo, veſteſve commutando hujuſce repulſi vitat pericula : ſponte urgentibus ſtimulis excernenda emittere feſtinat, ſalivamque utilem pravo more fugit expuere : mulier prægnans aut puerpera fluentibuſve catameniis, nocituros in præſentiis diætæ errores amovet; ideòne hæc miſera, ideòne miſer ille vocabitur?

Neſcit venerem placidus Minervæ cultor; ſuæ ſunt enim Muſis deliciæ; labor cupidineos arcus diſrumpit, ejuſque venenata ſæpiùs obtundit ſpicula. Raro à ſanis celebrata venus fortiores progenerat viros; ergò caſti dum conjuges eâ parciori, fervidiori ſaltem & utiliori gaudent; utque opimæ dapes ori inaſſueto jucundiores videntur, idem eſto judicium de cæteris ſenſibus; uſu quippè hebeſcunt ſenſus omnes; modus verò pretium addit rebus. Recenſeas nunc, ſi poſſis, quaſcumque ſpretæ moderationis leges edunt turbas; hìc adſint amara febris, nodis horreſcens podagra, gravis apoplexia, torpor iners, cadaveroſa tabes, lues cupidinea, ferox hypochondriaſmus, nerveorum malorum miſeranda cohors, & quæ innumera ſilentio premere ſatius eſt. Felix igitur quem tot fugiunt luctus, tot faſtidia, tàm diuturni vixque ſufferendi dolores, fugacis gaudii triſtes reliquiæ! Felix qui virtute valens pectus geſtat telis cythereis impervium, amoremque ſibi ſubdit magis, quàm illi ſubditur! Felix tandem qui rebus in arduis æquam ſervat mentem : qui à fame & ſiti, laboribus & pervigiliis, ab æſtu & frigore nil metuit, nulloperè immutatur, aſſuefactus omnibus! Neque id à moderatione valdè alienum putes; ea ſunt enim ſanitatis athleticæ jura, ut quæ imbelli mulierculæ nimia, ideòque nociva forent, modica leviaque videantur duro militi. Prætereà vocante officio, ſancita artis tranſilire licet; ſe-ipſum pro republicâ ſpernere quandoque decorum eſt.

V.

NULLO unquam magis quàm præſenti ævo juris publici fuit Medicina, objiciunt plurimi; nullo tamen crebriores viguêre morbi; nullo fragilior ſanitas, vita hominum debilior. Audias, quæſo, calamitatis originem : ubi primùm deſidia & luxus Romanos occupârunt, pejores hoſte barbaro! ubi mille vitia hos contaminârunt, ecce & incubuit pallida morborum cohors & fractum naturæ robur effœtis corporibus evanuit. Conſtat porrò à pari fonte ſcaturiiſſe apud nos

impura morborum flumina : quos oppositis aggeribus sistere debuerunt sanè Medici ; cunctas igitur suæ artis opes miserando hominum generi largâ manu profuderunt. Felix si sapientibus temerè non usum fuisset horum consiliis ! At Charybdi vitatâ, statim in scyllam incidit ; plerique enim plus de fovendâ pelle solliciti quàm de roborando corpore ac motibus animicomp onendis, mala malis adjecerunt ; hinc pusilla mens & tàm facilè commovenda, tàm mobiles nervi, tàm facilè immutandum corpus ; hinc tot turbæ, tetræ vitiorum, non artis hygiasticæ progenies !

Vita medica, juxta alios, perpetua est sollicitudo : nùm verò studium adeò grave, miram adeò ingenii subtilitatem perpetuamque animadversionem requirit optata sanitatis conservatio? Lex simplicissima incumbit, *ne quid nimis*. Naturam ergò sincerè interroges ; nec eam stimulo intendas, nec refrenes ultra modum ; huic benè obsequiosus, ejus interpreti medicinæ sat famulaberis ; sic & sanus eris & felicissimus.

Judicent nunc periti, nùm *plures afferat quàm sanet morbos*, quæ tota est ut morbi à terris in perpetuum exulent, & cujus si vigerent præcepta, forent illi saltem rariores. Judicent nùm *eâ frangantur animi*, quæ mentem & corpus æquè exerceri, laboresque ac ærumnas æquo animo jubet, sufferri non studiosa minùs athleticos, quàm cives sanos efficere. Judicent demùm, nùm *è Medicorum manibus exeant pro viris, virorum cadavera*, nisi priùs libidine exaruerint corpora, sibique ipsi homines proprias manus attulerint, damni sui, suarum ægritudinum nimis ingeniosi artifices. Contrà ex dictis patet quanta sit artis diæteticæ dignitas, quàm puris constet legibus ; quantùm roborando corpori & menti informandæ prosit ; quantùm, pro suis cujusque partibus ritè observata, ad hominis sanitatem felicitatemque conferat :

Ergò à præceptis diæteticis vita felicior.

Proponebat Parisiis MICHAEL-FRANCISCUS DE LAPLANCHE, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1777. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1777.